

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20



B. C. D. 13
SPECIMEN INAUGURALE
DE
INTUSSUSCEPTIONE
CUM
CONJUNCTA OBSERVATIONE,
QUOD
EX CONSENSU
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS
PRO LICENTIA,

SUMMOS IN MEDICINA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CONSEQUENDI

DIE XXI. JUNII ANN. MDCCLXIX.

H. L. Q. C.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT


AUTOR
CAROLUS GODOFREDUS BECKER,
GRÜNEBERGENSIS.



ARGENTORATI
EX OFFICINA UNIVERSITATIS HEITZIANA.

CELSUS L. III. C. IX.

Quos ratio non restituit, temeritas juvat.



PROOEMIUM.



Nemo, qui omnia, quæ fiunt per intestina, attente considerat, de eorum eximio consensu cum omnibus totius corporis partibus dubitabit; in iis enim recte se habentibus, omnia, quibus nutrimentum ac incrementum perficiuntur, & omnes totius corporis vires perditæ late restaurantur, modo mirabili & ingeniis acutissimis incognito elaborantur, præparantur extrahunturque. Intestina itaque sana, ut tota œconomia animalis rite procedat, & machina humana bene valeat, symbolam suam conferunt quam maximam.

Horrendi e contrario morbi in omnibus corporis partibus, & præcipue in capite observantur, si intestina aut debilitate laborant, aut ab heterogeneis, sive in humoribus latentibus, sive in cavitate intestinorum stabulantibus irritantur & morbose afficiuntur; id quod GALENUS ^{a)} jamjama suo tempore pulcherrime annotavit.

Quis enim crederet? dolores, a glutine alias saluberrimo,

A

mo,

^{a)} In Lib. I. Cap. VIII. de *Symptomatum Causis*.

mo, vehementissimos excitatos fuisse, nisi GALENUS *b*) hos in se ipso expertus fuisset. Quis sibi imaginatus fuisset, flatus in intestinis contentos, gangrænam totum crus occupantem producere posse, nisi Illustr. VAN SWIETEN *c*) hoc observavisset? Quis tandem sibi persuasisset, lumbricos cataleplepsin & epilepsiam effecisse, nisi eadem Illustr. WILLISUS *d*) & VAN SWIETEN *e*) vidissent?

Horrendos dolores, & innumeros morbos, ab acrimonia omnium generum productos nemo ignorare potest, qui in recentiorum scriptis paululum versatus est. His nunc omnibus rite consideratis, WHYTTII *f*) sententia firmo stare talo videtur, vitia nimirum intestinorum plus sæpius damni inferre, quam læsæ cerebri functiones, quippe per ea palpitationes cordis, totius corporis languores, tremores & convulsiones enormes creberrime excitantur. Si autem intestina adeo intercipiuntur, ut non solum omnium contentorum descensui obex ponatur, sed etiam motus humorum in vasculis minimis impediatur; tunc plerumque obstruções, inflammationes, dolores crudelissimi, febres acutissimæ, æque velocissime lethales observantur, testante hoc BOERHAAVIO *g*), qui, dum exquisitum intestinorum sensum ab ingenti numero papillarum nervearum deduxit, statim hoc continuo ibidem subjicit, homines validissimos celerrime & sæpe intra unicum horam ab inflammatione & excoriatione intestinorum perire; si ergo in aliquo in hoc certe morbo verum est illud Hippocraticum *h*) occasio est præceps; interdum vero morbi intestinorum adeo sunt malignæ

b) De *Locis affectis* Lib. II. Cap. 5.

c) Vid. *Ejus Comment.* ad §. 422. sub litt. *l*.

d) Vid. *Ejus Patholog. Cerebri.* Cap. IX. p. 135.

e) Vid. *Ejus Comment.* ad §. 1040.

f) In *seiner Abhandlung von Nerven-Krankheiten*, Cap. III.

g) Vid. *Ejus Praelectiones ad Inst.* ad §. 91.

h) Sect. I. Aph. I.

lignæ indolis, ut illa fere absque omnibus inflammationis signis gangrænescant, & sphacelo corripiantur, & ægri, Medicis nil ejusmodi suspicantibus, exstinguantur ²). Ast hic de omnibus intestinorum morbis pro dignitate sermonem facere desunt vires & prohibet instituti ratio.

Mihi, de specimine in hac Musarum sede edendo, meditati, Experientissimus Anatomiae Professor D. LOBSTEIN, Præceptor & Fautor nunquam satis laudandus & venerandus, morbi cujusdam in Collegio Chirurgico mentionem fecit, cujus symptomata & medela mutuam intestinorum ingressum edocere probareque evidentissime videntur, quemque charta excepi, cum publico aliquando communicandum, quodque meum propositum probavit Vir antea dictus, scituque adhuc necessaria benevole subjungenda mihi injunxit. Tuo igitur B. L. favori me commendatum habeas est quod enixissime rogo.

HISTORIA MORBI.

Vocatus Vir Exper. A. 1766 in pagum haud longe ab Argentorato distantem, ut agricolæ miserrimo morbo decumbenti opem præstaret. Symptomata, quæ in ægro observare licuit, herniæ incarceratæ indicia ferebant, ita ut statim in eum morbum inquireret. Vomebat quidquid ægrotus ingessit, dolebat venter tumidus ructibusque agitatedis diris ægrotus. Applicuit Chirurgus pagi enemata, quæque ex alvo eliminata rursus absque scybalorum eliminatione. Pulsus in principio erat durus ac frequens, quemque frangere tentavit medicamentis nitratis & venæsectionibus. Ventris dolor præsertim circa abdominis medium non quidem fixus vexabat ægrotum, inquietudines insignes aliaque symptomata,

A 2

²) Vid. MORGAG. *Epist. Anat. Med.* XXIX. No. 10-11. porro *Epist. Anat.* XXXV. No. 20.

mata, quæ dictum morbum comitantur. Retulit ægrotus, cum locum herniæ, quo hæ frequentissime accidere solent, inquirere vellet Præceptor, se in utroque latere intestinorum prolapsum pati, quamque ob rationem illum locum ordinaria fasciæ, loris scilicet confectæ, quæ pilas habent, munire, quo sanitatis præsidio jamjam per longum satis tempus uti. Vexatum epiploon aut intestinum esse ratus, ideo sollicitè vincituram solvit uno in loco; sed digitum per anulum immittere potuit facileque repellere, si quid esset interceptum, sic uno in latere, sic & in altero. Hoc autem in examine nates paululum erant elevata, demissusque thorax, ut illud eo melius institui posset, quodque repetitis vicibus fuit peractum, ut de tali intestinorum justo situ fieret certior. Nihil autem prolapsi aut vexati ullum erat indicium; aliud igitur intus latere fuerat conclusum, quapropter oleosa interne assumpta, balnea, inunctiones, enemata oleosa, saponacea, irritantia quoque de electuario catholico, Hier picr., dein emetico, imo quæ de tabaco quid continebant, sed frustranea cuncta, quæ tristis malorum caterva ad septimum usque diem duravit. Mercurium vivum, tanquam unicum adhuc salutis præsidium, respuit ægrotus, omnia sese velle potius perpeti, quam tale quid ingurgitare, affirmans serio. Quinto sextoque die pulsus tenuis ac frequens, venterque desedit, præcordia angebant & emaciatus erat ægrotus, ut præter cutim nil fere hæreret ossibus actumque de eo videretur adstantibus. Ab audacia itaque auxilium sumendum esse sibi proposuit Præceptor celeberrimus in præsentia Chirurghi dexterrimi, tunc Argentorati versantis inter cohortem Primarii, qui simul in annulorum statum inquisivit nihilque reperit intus. Laxavit ideo vincituram ordinariam Celeb. Præceptor, inclinavit ægrotum suo in lecto, ita, ut elevaretur thorax demissæque essent nates; quo factum, ut intestina sese annulis sisterent, quæque per annulos in scrotum sensim & leniter fuerunt deducta, in
quan-

quantum potis erat, quibus scrotum fumme turgeret. Hæcce responderunt votis. Talem nunc in situm ponebatur æger, ita ut nates elevarentur, demissusque esset thorax, sic condita rursus fuerunt follicite, quæ antea erant deprompta, & ordinaria iterum ligatura admota. Hoc in intervallo ægroti frigida erant membra, & respirationis negotium eo deductum, ut spiritum vix trahere posset, quæ cuncta redierunt intestinis in cavitatem rursus refusis. Annuit ita fortuna hisce conatibus, ut brevi tempore post alvus responderet & fumme foetentem excerneret materiem. Vesperi materiei eliminatæ sanguis simul mixtus doloremque colicum sentiebat ægrotus, quem sopiendum oleosa cum syrupis demulcentibus propinata, ut & gelatinæ ex vitulina carne paratæ cum emulsionibus nutrientibus exhibitæ, exterius embrocationes oleosæ cum carminativis fuerunt applicitæ: sic fovebatur corpus, sic nutrimentum hausit blandum, demulcens, somnoque rursus incumbere cœpit ac vires acquisivit egregias; cumque præter sanguinis ramenta nil erat videndum, corticem intus in infuso, demum in substantia assumpsit, ut pristinum vitale robur in integrum restitueretur. Die, quo malum illud invasit, ægrotus, in sylva occupatus, qua arborem ramis denudatam a terra in currum elevaret, sensit quid intus in abdomine e sua sede demissum & loca statim herniarum inquirebat ipse, quasque, si intestina prolapsa essent, reponere scite novit; nil autem tale accidisse, tunc affirmabat semper, quod quoque ita fuit repertum. Nonne Intususceptio tali motu corporis vehementi contigerit? nonne cauta eductione tali curata? nonne id materies sanguine mixta indigitare poterit? qui rite cuncta perpendit, haud immerito talia concludere valebit.



§. I.

Si quædam intestini pars, siue superior proximam inferiorem, siue inferior superiorem, cum annexi mesenterii portione, adeo, quamcunque ob rationem, subit, ut ibi suscipientis partis contractione retineatur; tunc dicitur *Mutuus Intestinorum Ingressus, Intussusceptio, Invaginatio.*

§. II.

Qui de intestinorum Intussusceptione varias variorum Autorum sententias considerat, eas diversissimas inveniet. Sic Clar. VELSE *a)* mutuum intestinorum ingressum a priori improbabilem esse conclusit; dum nimirum eundem in brutorum, adhuc viventium, aut mortuorum intestinis imitari incassum tentaret; expertus est, se illum plane non producere potuisse, siue illo etiam producto, intrusam partem, aut nullo motu, aut saltem levissimo, mox iterum fuisse elapsam inque suum pristinum statum restitutam.

HELMONTIUS *b)* post cadaverum, ventris doloribus extinctorum, sectiones, alias morbi mortisque causas detegens, impossibilem illum pronuntiavit. VERDUCKIUS *c)* & PATINUS *d)*, qui intestinorum nexum cum mesenterio mirabilem, eorumque glabritiem summam & lubricitatem, tunicæque muscularis fabricam considerabant, non solum Intussusceptionem improbabilem credebant, sed & omnes, aliorum de ea doctrina & observationes, ficticias commentitiasque esse affirmarunt.

§. III.

Autorum vero laudatorum sententiæ ex fabrica intestinorum,

a) Vid. Ejus Dissert. inaug. de *mutuo Intestinor. Ingressu.* Lugd. Batav. habit.

b) De *Flatibus.* §. 30. seq.

c) Chirurg. C. 30. de *Vulner. abdomin.*

d) GER. BLASII not. ad VESLINGIUM *Annot.* Cap. 3.

norum, fortasse non sufficienter cognita, desumptæ, aut aliis ex rationibus depromptæ; infinitis & omni exceptione majoribus phænomenis, explicationem nostram plerumque antecedentibus, destruuntur refutanturque experimentis egregiis a Viris eruditissimis in animalium intestinis institutis. Vidit enim Clar. PEYERUS e), laceffendo ranæ viventis intestina, volvulum nasci, dum quædam loca ampliata proximas intestini partes in se recipiebant & adeo in finu suo absconditas tamdiu retinebant, donec fibris se denovo exporrigentibus intestinum e latibulo alterius, velut e domuncula cochlea, in apricam pristinamque sedem rediret. Similia & non sine admiratione Ill. VAN SWIETEN f) & WEPFER g) intestina laceffita, sese non solum in locis, ubi acria applicabantur, sed simul in plurimis vicinis partibus constrinxisse viderunt. Tandem Ill. HALLERUS h) omne dubium hac de re removit, dum ille pulcherrime per sua accuratissima experimenta egregie perspexit intestinorum quasdam partes dilatari, quasdam coarctari, dilatatas autem coarctatas in se recepisse & per aliquod tempus retinuisse.

§. IV.

Constat ex his, quam caute Medicis cum suis decisionibus, a priori desumptis, quid fieri, aut non fieri queat, mercandum sit; constat porro paucissimas corporis humani facultates nobis esse cognitatas; plurimas intimæ naturæ nos adhuc latere: sed respondetur ad supra dicta, talia phænomena, artificiose applicatis irritamentis producta, nunquam fere in corpore humano sibi relicto apparere. En alia argumenta.

§. V.

e) *Sepulchret. Bonet. L. III. Sect. XIV. Observ. XX. Schol. ad §. 8.*

f) *Comment in Berhav. Aphor. §. 648.*

g) *Hist. Cicut. aquat. p. 89.*

h) *Memoires sur la Nat. sensib. & irrit. Sect. XVI.*

§. V.

Sectiones cadaverum prudenter & caute institutæ latentissimas morborum mortisque causas, & alia miranda & fere incredibilia, de quibus Medici nequidem somniasent, detexerunt, & affectum, quem hic tractamus, non modo extrâ omnem aleam ponunt, sed simul eum frequentiorum esse, quam vulgo credi solet, evincunt; si alias Virorum sincerissimorum observationibus fidem tribuere liceat. Clar. PEYERUS *i*), pueri cadaver incidens, recenset ad fatis magnam longitudinem intestini contractam partem subuisse proximam, affirmat & partem susceptam quatuor digitos transversos longam fuisse. Sicque & Experimentiss. RUYSCHIIUS *k*), Anatomicorum suo tempore facile Princeps, qui nil, nisi quod viderit, affirmabat, sectionibus multorum cadaverum a se ipso institutis, mutuum intestinorum ingressum seu morbum frequentissimum familiarissimumque pronuntiavit.

§. VI.

Hic morbus in omnibus intestinis omnibusque eorum regionibus contingere potest, & quamvis Historia Medica doceat, illam in crassis fortasse ob majorem parietum crassitiam, aut eorum cum aliis partibus firmiorem adhærentiam, rariorem esse, nihilominus Clar. ROBIN *l*) in cadavere infantis, tres annos nati, aperto, intestinum cœcum & colon simul rectum, ingressa observavit. Perpaucos legi, qui hoc malum, in colo existere viderint præter RUYSCHIIUM *m*) idque uti fatetur, semel, cum tamen in tenuibus intestinis toties repererit, ut sæpius nemo Fortasse hoc contigit ob compactiorem ligamentorum substantiam,

i) *Sepulchret. l. c. Obs. 1. §. 2.*

k) *Thef. X. n. 62.*

l) *Memoires de Chirurgie. Histoire 4. p. 223. T. IV.*

m) *Advers. Anat. Dec. 3. 5.*

tiam, aut ob cellulas, quibus hoc intestinum instructum est. Analogum quoque casum profert WEISSIUS *n*), qui in mortua post atroces ventris dolores cum pertinaci alvi obstructione & tandem cum volvulo conjunctos, invenit ileum extremum in colon illapsum, cum hujus membranis concretum, ac adeo contractum, ut transitum occluderet liquamini foetido & stercoraceo, quo intestina tenuia flatibus mire distenta inflammataque conspiciebantur; similia CASTANNET *o*) in eodem invenit.

Ileum vero frequentissimam hujus mali sedem esse, graves Auctores *p*), & inter hos RUVSCHIUS *q*) affirmant, imo, quod mirandum est, in id-cœcum arctissime contractum, ingressum HILDANUS *r*) vidit. Jejuni portionem, in proximam sui partem illapsam, & multum ibi coarctatam & compressam, lividoque colore tetram invenit WIDMANNUS *s*); id in eodem quoque contigisse ab ABRAHAMO VAZERO *t*) scriptum est.

§. VII.

Observatores hoc malum non modo simplex, sed sæpius multiplex, in eodem cadavere, sive in variis intestinis, sive in locis ejusdem intestini diversis contigisse, suis scriptis evidentissime probant; ita THOM. WILLIS *u*) in abdomine puellæ convulsionibus enecatæ, inciso, intestina tenuia pluribus in locis involuta invaginataque invenit, ejusmodi Intususceptiones tres, distinctis intervallis, in

B ileo

n) In *Commerc. liter.* Ann. 1745. Hebd. 24. No. 1. ad 2.

o) *Memoires de Chirurg.* Tom. IV. Obf. X. p. 229.

p) Vid. BONNET. *Sepulchr.* l. c. Obf. XX.

q) *Advers. Anat.* l. c.

r) *Observ. Chirurg.* 61. Cent. 1.

s) *Ephem. Nat. Cur.* C. 6. obf. 89.

t) *Prog.* edit. 1717. M. April.

u) *Patholog. Cerebri.* Cap. 8.

ileo PEYERUS v), quatuor in eodem Clar. SIMSON w) viderunt, imo easdem in septem locis simul inventas fuisse legitur x).

§. VIII.

Non defuerunt eruditissimi Medici, qui invaginationem tantum parte superiori inferiorem proximam subeunte, possibilem crediderunt; Clar. PEYERUS y) autem intestini irritati partem superiorem dilatatam, inferiorem proximam coarctatam in se recepisse retinuisseque per longum fatis tempus, spectavit. In cadavere, militis violentissima colica extincti, aperto, partem intestini ilei inferiorem, in superiorem proximam intrasse, se vidisse asserit FLACH z).

§. IX.

Hujus mali imperio, non solum subjecti sunt, pubertatem jamjam adepti, sed etiam infantes, & fortasse frequentissime, uti hoc Virorum acutissimorum experientia probatum esse videtur; inter quos praecipue Dexterrimus Parisiensium Chirurgus LOUIS a) recensendus est, qui plus quam trecentos infantes, in sua schola anatomica, vermibus aut dentitione enecatos, cultro anatomico subjecit, & in eorum intestinis, non modo simplices, sed etiam simul plures invaginationes detexit; easque amicis suis spectatum exhibuit.

§. X.

Mutuum intestinorum ingressum dividere amant Clar. Viri b) in perfectum, ubi nimirum portio intestinalis cum annexo

v) *Sepulchr. l. c. ad §. 8.*

w) *Essais de la Societé de Medecine d'Edimbourg. Edit. franç. Tom. VI.*

x) *In Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. A. VIII.*

y) *Sepulchr. l. c. Scholion ad §. 8.*

z) *In Diss. de Passione Iliac. hic defensa A. 1725. pag. 7.*

a) *Vid. Memoires de Chirurg. Tom. IV. pag. 222.*

b) *VELSE in Dissert. citat.*

annexo mesenterio, proximam subit, & in imperfectum, ubi tantum intestini portio dorsalis dorsalem proximam, mesenterio in suo situ manente, intrat. Mihi autem hæc divisio, dum rite cuncta rimor, subtilitati ingenii potius tribuenda esse videtur, quam ut experientia illa statui queat. Huic quoque sententiæ favere mihi videor Cl. MORGAGNUM c), dum refert: "si intestini pars proximam subit, annexi mesenterii portio subeat, necesse est.

§. XI.

Huc usque introfufceptiones intestinorum, earumque varias species dari, observationibus Virorum fide dignissimorum, probavimus. Nunc ad earum causas, & quidem remotas aliquantulum illustrandas accedere lubet; cum autem earum varietas infinita esse potest, frequentiores tantummodo hic tangere placet.

§. XII.

Anatomici & Physiologi sufficienter probant, totum intestinorum canalem, fibris muscularibus, tam circularibus, quam longitudinalibus c*), vi quadam insigni præditis, quam sagax HALLERI industria suis institutis experimentis nobis descripsit, gaudere d), quarum priores, intestina coarctando, posteriores eadem abbreviando, agunt: porro nervos innumerabiles ad intestina deferri, Virorum acutissimorum industria evictum est e), quibus omnibus fit, ut intestina non solum irritabilitate & sensibilitate ditata, sed etiam in perpetuo motu constituta sint, quavis nondum sit decilum, an fibris muscularibus quædam vis propria se movendi competat? uti hoc quædam

B 2

expe-

c) *Epist. Anat. Medic.* XXXIV. Art. 32.

c*) ALBINI *Dissert. de Intestinis Tenuib.*

d) Vid. HALLERUM *Prim. Lin. Physiolog.* §. 722.

e) WINSL. *Exposit. Anat.* Tom. IV. pag. 67.

experimenta & observationes f) suadere videntur. Ill. VAN SWIETEN ff) huic affirmationi quidem contradicit, suum autem argumentum plerumque insufficiens reputatur. An magis omnis musculorum vis a nervis dependeat? nescio; Ill. ALBINUS g) saltem hac de re dubitat, dum convulsiones in foemina excitatas a digito, proximo radialis interni tendini, leviter impresso, nervo intacto, vidisset.

§. XIII.

Quidquid autem hac de re statuatur, nobis sufficit, tam hominum, quam etiam plurimorum animalium, intestinis non modo tenuibus, verum & crassis, motum peristalticum, durante vita, quin imo per aliquod tempus post mortem, competere, quique si deficit jam, quocunque stimulo resuscitari potest. Testatur quidem BOERHAAVIUS h) se nunquam in intestinis crassis, in numerosis vivorum animalium sectionibus, observasse motum peristalticum, quem tamen in illis vetustissimi Observatores jam perspexerunt, quos secutus CICERO i), tum adstringere sese intestina, tum relaxare, sive ad terendum & conficiendum cibum, sive ad ejusdem reliquias depellendas diserte scripsit. Sed quid fugiamus jam ad Veteres, ad probandam rem, quæ se omnibus, ne quærentibus quidem, spectatui sistit; & sufficiat nobis maximum hac in re Autorem MORGAGNUM k) testem excitare, qui, se in dissectis variis animalibus, peristalticum non modo, sed etiam antiperistalticum motum in crassis intestinis vidisse, affirmat. Quæ omnia Ill. HAL- LERUS l) experimentis infinitis in animalibus, ac indefessa persequi-

f) Ill. MORGAGNI *Advers. Anat.* VI. Animadv. XXIV.

ff) *Comment. in Barbæ. Aphor.* §. 600.

g) In *Annotat. Academic.* Lib. III. Cap. XVI. p. 89.

h) *Prælect. ad Institut.* §. 816. in fine.

i) *De Nat. Deorum.* Lib. 2.

k) *Epist.* XXXIV. a. 31.

l) *Comment. ad Barbæ. Prælect.* §. 93. not. 6.

persecratione in hominibus, se observasse, docet. Quin antea jam dudum ab HELMONTIO *m*) & WEFFERO *n*) hæc visa, scripta & probata fuerunt.

§. XIV.

Motus peristalticus ab irritabilitate & sensibilitate, tanquam a sua causa, dependet & a stimulo sustinetur; his autem immutatis, ille quoque adeo immutatur, ut plane irregularis & perversus evadat, & omnia, quæ Auctores, §. III. adducti, viderunt, producere potest; præcipue autem, si intestina jamjam per nonnullarum portionum dilatationem & reliquarum coarctationem ad hunc morbum prædisponuntur. Causas occasionales, ad invaginationem efficiendam concurrentes, paucis tradere & considerare placet. Duplicem earundem classẽ dari, accuratissimis summorum Virorum observationibus est evictum:

Prima continet omnia heterogenea, quæ immediate intestina nimis irritant & afficiunt; hæc iterum sive in intestinorum cavitate sive tunicis hærent: ad priora pertinent omnia ingesta, quæ aut qualitate, aut quantitate, aut denique figura pondereque intestina irritare, lædere, eorum canalem obstruere ibique motus perversos & vehementiores excitare valent; tandem omnes humores ibi stagnantes corrupti, uti & fæces induratae & putridæ; ad ea quoque lumbrici referendi sunt, quibus intestina vehementissime incitari, manifestum est; quare Cel. HEISTERUS, cum in tenuibus duodecennis pueri intestinis duplicem introsusceptionem inveniret eademque intestina lumbricis repletissima cerneret, in præxi notatu dignum existimavit, præsertim si juniora tractamus subjecta, invaginationem a lumbricis sæpe sæpius oriri posse. Tales invaginationes a ver-

B 3

mibus

n) De Flatibus, No. 38. p. 339. & 340.

n) BONNET, Sepulchret. L. III. Sect. XIV. Obs. 1. §. 2.

mibus productæ a PEYERO o) & RUYSCHO p) in cadaveribus dissectis detectæ & annotatæ sunt. Hoc, prægressa hyeme, Professoris Anatomix experientissimi egregia benignitate mihi aliisque videre in Collegio de Causis & Sedi- bus Morborum contigit; ubi nempe intestini ilei pars inferior superiorem adeo ingressa erat, ut ibi non solum coarctata, sed etiam quam maxime inflammata inveniretur; nulla autem alia Intussusceptionis causa præter lumbricum in loco affecto hærentem, detecta fuit. Ad posteriora, ubi nimirum heterogenea in intestinorum tunicis hærent, annumerantur variorum vasorum, per intestinorum parietes distributorum, obstructions & exortæ inde dolores, inflammationes & tumores, præprimis introrsum protuberantes; porro humores omnes, his in vasis circulan- tes, morbosa labe affecti, quibus eorum nervi acerrime afficiuntur & fibræ musculares vehementissime irritantur; unde sæpenumero spasmi, flatus, dolores, anxietates, languores, tremores & convulsiones proveniunt, uti hoc egregie MUSGRAVE q), Clar. WHYTT r) & dudum ante eum ARETÆUS s) perspexerunt.

§. XV.

Alteram classem constituunt quæcunque functionum læsiones in omnibus, etiam remotissimis, præter intestina, partibus excitatæ, quibus hæc in consensum trahuntur, morboseque afficiuntur. Quis crederet, ob pedem semi- dislocatum motus vehementissimos in intestinis cum nau- sea, vomitu & suffocato edendi appetitu, conjunctos exci-
citar

o) *Sepulchret.* L. III. Sect. XIV. Obs. 20. Schol. ad §. 8.

p) *Thef. Anat.* IV. No. 14.

q) *De Artbridite anomala.* Cap. XIX. p. 316.

r) *Abhandlung von den Ursachen und Heilung der Nervenkrankheiten.* Cap. 4. pag. 124.

s) *De Causis & Signis Morbor.* L. IX. Cap. 12.

citari posse, nisi HELMONTIUS id in se ipso fuisset exper-
tus t)? A pancreate autem, liene, hepate cæterisque par-
tibus u), intestinis vicinis, inflammatis, aut præternatu-
raliter affectis, motus intestinorum simul immutari perver-
tisque posse, quis non videt? Mirandus certe est confen-
sus, intestina inter & caput obtinens, dum, intestinis
morbose affectis, afficitur & caput variis morbis, læso enim
capite & læsiones in intestinis sentiuntur. Insignes cerebri
mutationes, in sanissimis ceterum hominibus, biliosum vo-
mitum excitare non tantum, verum & bilem non raro
miro modo mutare, observationibus probatur certissimis u*).
Referendos hic quoque esse sentio, tum motus vehemen-
tiores nixusque corporis, tum animi pathemata. Plura
certe sunt, quæ hæc loquuntur, observata: ita de pathe-
matibus animi evolvi merentur Ill. VAN SWIETEN v) &
Clar. VELSE w), & quomodo nixus corporei motusque
vehementiores morbos varios ac mutationes in intestinis
producere valeant, sic RIOLANUS x) saltatoribus aliquando
intestina tenuia intorqueri affirmat, ille nempe in abdomi-
ne juvenis saltationes amantis & volvulo enecati aperto,
ileum ita reduplicatum, ut si chirothecæ contraheretur,
invenit; id quod etiam noster casus egregie probare vi-
detur.

§. XVI.

Si autem, quibuscumque de causis, §§is antecedentibus
recensitis, invaginatio orta fuerit, dira, atrocissima atque
omni commiseratione dignissima tormina varia sub forma
excitantur. In principio hujus morbi crebrius per inter-
valla

t) In *Capit. Pylorus Reclor.* No. 20. p. 184.

u) GALENUS de *Locis affectis*, L. V. Cap. 7.

u*) PLATNER. *Chirurg.* Cap. de *Vuln. Capitis*, §. 511.

v) l. c. §. 104. & 642.

w) Dissert. cit.

x) *Sepulchr.* l. c. Obs. 20. §. 9.

valla tantum acerbi dolores excruciant ægotum, & non ita determinate ad unum aliquod punctum figuntur *y*), neque alvus pertinaciter ita catharticoꝝ vim eludit, & exonerandi cupiditate sedes, cruentæ licet & parcæ, sine omni tamen assumto remedio, sponte interdum respondent.

Pergente autem hujus morbi atrociam, interceptis jam invaginatione intestinis, facibus accumulatis, putrefactis, intestinorum parietes extenduntur, vellicantur, sicque omnis generis vala aut elongatione, aut compressione, aut spastica denique contractione *z*) arctiora reddita, obstruuntur, humorum ad ea affluxus augetur; unde errores locorum *a*), dolores vehementissimi *b*), tumores *c*), inflammationes *d*) nephritis ejusque sequelæ *e*) procreantur; sicque febres inflammatoriæ & acutæ cum pulsu frequenti, humili, quasi ligato, & valde irregulari *f*) oboriuntur. Tandem sentiunt miseri anxietates circa præcordia, respirationem difficilem, jactationes corporis; porro peristaltico motu plane inverso, ructus inanes & vomitus, fæces foetidissimas rejicientes, producuntur; quæ omnia gangræna sphacelulæque excipiunt citissime.

Cessant nunc quidem dolor & febris, verum totum corpus resolutum cum sit, omnesque vires fractæ prostratæque; hinc sudores frigidi, tenaces, in guttas collecti, alvi profluvium, debilitas summa, lipothymia, syncopæ, convulsiones, singultus omnibus ærumnis finem imponunt atque ægrum orci faucibus tradunt. §. XVII.

y) SYDENHAMI *Oper. Med.* Sect. IV. C. VII. p. 259.

z) III. VAN SWIETEN *Comment. in Barb. Apor.* §. 112. No. 3. & 4. & §. 113.

a) *Ibidem* §. 100.

b) *Ibidem* §. 220.

c) *Ibidem* §. 370.

d) BONNETI *Sepulchr.* l. c. Obs. XX. §. 8. Schol.

e) ARETÆUS de *Caus. & Sign. Morb. diuturn.* L. II. Cap. VII. p. 59. GALENUS de *Lociis affectis.* L. VI. C. II.

f) III. MORGAGNI *Epist.* XXXV. Art. 21.

§. XVII.

Sunt quidem plures Medici, qui credunt gangrænam ac sphacelum indivulgas esse inflammationis pedisequas; sed contrarium probant varii Auctores fideles deque remedia optime meriti. Celeb. FRID. HOFFMANNUS *g)* exemplis haud raris spectatis sic scripsit: „quare quin etiam in „terne in visceribus idem, sine prævia inflammatione. . . . „fieri possit, non est, quod dubitemus.” Livida, nigricantia ac sphacelata intestina quodam in cadavere dissecto vidit ORTLOBIUS *h)*, miratus quam maxime, cum ægrotus de nullis præviis doloribus, nec prævia febre fuerat conquestus. An hic ob atoniam, a nervis intestinorum obstructis, sphacelus sit progenitus, uti sententia est RUY-SCHII *i)*? Sane difficillime tunc, associati non raro huic morbo, vomitus explicandi forent. Si quis ergo cum aliis inflammatorum intestinorum signis, atrocem dolorem & acutam febrem in decumbentibus percipiat, ille recte quidem hæc duo, cum summis Medicinæ Scriptoribus, inter præcipuas notas magnæ inflammationis intestinorum adnumerabit. Ne autem decipiatur quis, ægrotantium lectos aliquando aggrediens, si forsitan alterum aut utrumque horum absit, ut credat, nullam adesse inflammationem in intestinis; ideo non inutile fore credidi adnotasse, fallacia hæc interdum esse, uti id luculentissime observata testantur. Cl. ROSA *k)* adducit casum, ubi universum intestinorum systema inflammatione corruptum ac sideratum repertum fuerat, & tamen in toto morbi decursu ne minima quidem pulsus intensio aut motus febriles observantur. Idem saluberrimum in praxi medica monitum posuit

g) Dissert. de Morb. Hep. ex Anat. deduct. §. 19.

h) Sepulchr. BONNETI Lib. III. Sect. I. Obs. II. Schol.

i) Observ. Anat. Chirurg. 10.

k) Act. N. C. Tom. VIII. Obs. 47.

fuit III. SIMSONUS *l*), ne nempe decipiantur Medici, credentes nullam inflammationem adesse, si febris ablit, cum sæpe fixos dolores intestinorum & ventriculi inflammatio producat, licet nulla febris observetur, pulsu explorato.

§. XVIII.

Periculosissimum huncce statum esse, nemo negabit, quippe quo ægri affecti ex improvise in præceptis ruunt citissime. Ne autem plane in tenebris versaremur, nostri in Medicina parentes quædam nobis dederunt signa, quæ aliquo modo certiores nos faciunt. Interim dissimulandum non est, in dijudicandis hisce signis illorum & requiri perspicaciam. Sunt autem ea, observante ALBERTINO & III. MORGAGNO *m*), pulsus humilis & potius debilis sibi que subobscurè dissimilis; abdomen durum, tensum & cum dolore quodam affectum; facies insoliti quid ostendens; oculi quasi exterefacti; & denique livores circa labra.

§. XIX.

Quæ omnia symptomata, in §§is antecedentibus recensita, a diversissimis causis oriri posse, experientia docuit; ergo & indicia acutissimorum Medicorum, ex omnibus & singulis supra traditis, accuratissime consideratis, ad amissim ponderatis & inter se collatis, elicita, fallere possunt, si illi cum certitudine ad invaginationem intestinorum concludunt. Ex his medicæ scientiæ hac in parte egestas evidentissime apparet, dum nulla signa reperire possumus, quibus invaginatio a reliquis omnibus causis, malo iliaco producendo aptis, certissime discerni queat. Medicis interim magno solatio est, diagnosis fallacem parum hic damni adferre ægrotis, cum in initio hujus mali eadem medela requiratur & sæpius secundo successu tentetur.

§. XX.

l) *The of the Womb &c.* by THOMAS SIMSON, pag. 106. 107.
m) *Epist. Anat. Medic.* XXXV. Art. 21.

§. XX.

Ad sedem hujus mali quæ spectant, num scilicet in tenuibus resideat intestinis & quibus, num in crassis? neque ex doloris aut tumoris loco, dam in colicis doloribus præter naturam distenta, quonam jam fiat modo, intestina enormiter e sede sua dimoveri, observamus *n*); neque ex materia, vomitu rejecta certe dijudicari potest, cum non raro stercora, intestino ileo solummodo affecto, evomuntur, uti hoc observatio HENRICI AB HEERS *o*) & experimenta Cl. HAGUENOTII *p*), in animalibus instituta, probant evidentissime.

§. XXI.

Ex omnibus his, in præcedentibus fuse enarratis, apparet, incertam valde ambiguamque in hoc morbo prognosin esse, præcipue si consideramus, inflammationem hic facillime excitari eamque in partibus, valido spasmo constrictis, citissime abire in gangrænam, imo multos sola doloris intensitate jamjam enecatos fuisse. Recte igitur ARETÆUS *q*) dixit, inter hujus morbi initium & mortem, mox secuturam, nil præter dolores acerbissimos observari posse. HIPPOCRATES *r*) & GALENUS *s*) quoque monuerunt, raro vel nunquam emergere ileo correptos, si stercus vomuerint: fortasse quia, tales vomitus a prægressa gangræna produci, præsumebant. Extant quidem observationes *t*), ægros, portionibus intestinorum gangræna corruptis & per anum eliminatis, sanitatem perfectam re-

C 2

cupe-

n) SPIGELIUS de hum. Corp. Fabr. L. VIII. C. V. Sepulchr. BONNETI L. III. Sect. XIV. Obs. 41.

o) BONNETUS l. c. Obs. 24. §. 3.

p) Mem. de l'Acad. R. des Sc. A. 1713.

q) De Caus. & Sign. Morb. acut. L. II. C. VI. p. 18.

r) De Viâus ratione sanorum. L. III. C. VII.

s) De Locis affect. L. VI. C. II.

t) Mem. de Chirurg. Tom. IV. p. 215. Obs. 1. & 2.

cuperasse. Tales autem hujus mali eventus vix sperare, multo minus prædicere licet. Plerumque vero, morbo in principio subsistente & intestina crassa occupante, major felicitis medelæ spes superesse videtur.

§. XXII.

Cujus mali symptomatibus omnibus rite perpensis variaz indicationes se exhibent, quæ medelam requirunt promptam & efficacem. Dolores enim & spasmi pertinacissimi & motus humorum vehementissimi, vascula obstruentes, dilatantes eaque disrumpentes, nisi statim remediis obexponatur illis, in pejus vergunt omnia & ad mortem usque excruciant ægrotum dirissime. Potentissimum vero tale remedium, ad inflammationem impediendam aut inceptam mitiorem reddendam removendamque esse venæsectionem unanimes Medicorum consensus affirmat. Ne autem sanguinis missio ægris magis noceat, quam profit, diligenter in statum morbi ejusque indolem inquirendum est. Maxima vero cum utilitate venas aperiri, si quis nimia boni sanguinis copia laboret, si viribus vigeat, verum acerrimo deprehendatur dolore intestinorum, absente adhuc aut incipiente modo inflammatione, experientia docemur. Longe aliter res se habet, si inflammatio magnum incrementum cœpisset & vires laguerent in corpore; tunc enim temporis omnia, per se jam in præceps ruentia, venæsectione accelerantur & sic remedium utilissimum evadit semper nocivum. Egregie hinc Cl. TISSOT *u)*, nunquam laudandus satis Autor, dixit: "Væh illis, quorum Medici de causa nihil sciscitantes, omnem febrim vehementem sanguinis missione jugulare satagunt; quoties enim febris post operationem aucta ægrum jugulavit?" Addere adhuc placet, hujus morbi causam plerumque omni opinione celeriore esse, igitur indicata ocyssime exhibenda esse. Quantitas

u) Dissert. de Febr. bilios. pag. 121.

titas sanguinis pro diversitate ægrorum diversa est, jubet quidem ARETÆUS v) venam in cubito aperiendam esse lato vulnere, ut multus subito sanguis exeat, ad animi etiam deliquium usque, credens sic in animi deliquium lapsis fore magno emolumento, si illi cruciatus vehementissimos non sentirent per aliquod tempus; sed nescio, an hæc methodus ad obstructionem inflammationemque pertinaciotem reddendam non magis sit abominanda.

S. XXIII.

Experientissimus WERLHOFFIUS w) omnes medentes admonet, ne in iis, qui malo iliaco laborant, prætermittant diligentissime inquirere in hernias, quæ sæpe vel exiguæ sunt & ab ægrotis insuper habentur, vel pudore occultantur. Vanam non esse eam admonitionem plures perspexerunt Autores x), qui, cum nullam aliam causam recurrentium dolorum ventris vehementissimorum deprehenderent, tandem reperiebant tumorem, quem ægrotantes ob parvitatem non sentiebant, moxque intestino in suam sedem reposito & in eadem constanter servato, nulli amplius redierunt dolores, quodque quoque factum ex nostra Observatione videre est, quum ex omnium symptomatum præsentia, tale quid subesse jure suspicatum fuit; ideo, corpore in situm idoneum posito, inquirebatur in utroque latere sollicitissime in hernias; digiti autem in annulos immitti, nihil ibidem neque incarceratum neque prolapsum deprehendere potuerant; vitium aliud intus hæerere conclusum, uti hæc ex historia patent.

S. XXIV.

Clysmata emollientia, ex oleosis & saponaceis parata, omni tempore a magnis Autoribus laudata tanquam remedium

C 3

v) De *Curat. Morb. acut.* L. II. C. V. pag. 105.w) *Commerc. liter.* A. 1735. hebd. 1. N. 3.x) Ill. MORGAGNI l. 6. *Epist.* XXXIV. Art. 16.

dium efficacissimum ad partes, spasmō constrictas, relaxandas, ad nimiam sanguinis exæstuationem compescendam, ad fæces denique induratas & acriores redditas, dissolvendas & obtundendas; quibus tunc fit, ut dolores atque inflammationes mitigentur, obturatio canalī intestinalis removeatur & resolutio sperari possit. Præcipue ea autem conducunt, si vitium in intestinis crassis hæret, quia tunc immediate ad loca adfecta veniunt; si vero tenuia intestina inflammata sunt, tunc clysmata quidem hucusque naturaliter pervenire nequeunt, attamen crassa talibus repleta, omnibus vicinis partibus quasi balneum emolliens præbent, sicque etiam relaxandi emolliendique sua virtute egregie hic prodesse possunt. Eodem tempore etiam haustus emollientes ex decocto hordei, avenæ & similibus, addito melle, quos & olea blanda olivarum aut lini juvant, quam citissime exhibentur. Tandem omnia medicamenta mollia, omni acrimonia ac stimulo carentia, quæque tamen egregiis solvendi viribus prædita sunt, aut alio modo dolores mitigare valent, simul & semel prudentissime exhibentur, ut periculosissimæ inflammationes alias indivulsæ pedissequæ & cum iis simul mors arceantur. Nihil autem spasmis validissimis & partibus rigentibus magis oppositum & salutare esse, quam cataplasmata & balnea oleosa & emollientia & denique cucurbitæ siccæ y) experientia summorum Virorum evictum est, omnique die confirmatur. Calidum, de recens mactati animalis abdomine evulsam, omentum, ob veterum superstitionem in hoc morbo laudatum, ubi illud ventri calidum imponi curabant, recte a plerisque recentiorum rejici videtur. Quæ omnia hæc laudata Viri Experientissimus in usum traxit, nullo levamine inde percipiente ægro.

S. XXV.

y) SYDENH. Sect. IV. C. VII. p. 259. CELS. L. IV. C. XIII. p. 222. & in eodem Lib. C. III.

§. XXV.

Quæ si omnia rite & secundum indicationis normam applicata fuerunt, at neque dolor remittit, nec flatus nec stercus dejicitur, purgatorium pharmacum, quod *Hieram* vocant, dandum esse, ratus est ARETÆUS z). Veteres prudenter fatis antiphlogistica irritantibus præmittebant a), quorum vestigia secutus SYDENHAMUS b), post præmissam liberaliorem venæsectionem, sequenti die catharticum aliquod lenitivum præscribebat. At fortiora si indicabantur purgantia, ut intestinorum spasmos compefceret, anodynus prius usus fuit c). Clar. HOFFMANNUS d) fumo nicotianæ egregias vires alvum valde astrictam aperiendi inesse docuit affirmatque, "se vidisse homines plebejos vehementissimis intestinorum doloribus excruciatos, hujus deglutitione in instanti fuisse liberatos." Omnia hæc quam optime respondent experimento in ranæ intestinis a PEYERO e) instituto, ubi ille simul optime vidit Intusufceptionem extricari per ipsum vermicularem intestinorum motum auctum. Efficacissimum observavit SYDENHAMUS f) fumum tabaci, si ille, præmissis antiphlogisticis, valide in anum injiceretur. Et Clar. HEISTERUS g) ingenue fatetur, se tantam hujus remedii efficaciam in herniis incarceratis curandis observasse, ut nunquam applicatione scalpelli opus habuerit, præcipue si fumus, ex præstantiori nicotiana paratus, tamdiu in anum inflaretur; donec ægri alvum exonerandi stimulum sentirent, nec hisce, quæ simul fuerunt admota ingesta, noster fuit levatus æger.

§. XXVI.

- z) De *Curat. Morbor. acut.* L. II. C. V. p. 106.
a) *HIPP. de Morbis.* L. III. C. XIII. TRALLIAN. L. X. C. I. p. 582.
b) *Sect. IV. C. VII.* p. 260.
c) *Schedula monit. de nova Febris ingress.* p. 672.
d) *Med. rat.* Tom. IV. Part. II. p. 335.
e) *Paverg. Anatom. Exercitat. I. C. IX.* p. 46.
f) *Observ. Med.* L. I. Obs. 2. p. 37.
g) *Instit. Chirurg.* Part. II. p. 1101.

§. XXVI.

De ingestione corporum metallicorum diversimode Auctores judicant. Illustr. HOFFMANNUS *b*) quartanariae mali iliaco laboranti, praemissis oleosis pinguedinosisque, argenti vivi purissimi ad semilibram tali successu dedit, ut post quinque horas alvus cum levamine omnium symptomatum solveretur. Sed idem ille Autor simul adnotavit, restauratis jam viribus, tremores in artubus & imbecillitatem in pedibus remansisse ultra mensis spatium. An hi effectus mercurio resorpto sint imputandi, uti egregius Vir credidisse videtur? Numne potius vulgatissimae sint ventris dolorum sequelae? Ultimam ego suspicor. At si consideramus intestina non raro supra locum obstructum adeo expandi, ut gravia deglutita ibi facile commorari, obstructions per compressionem augere sicque gangranam accelerare & fere nunquam suo pondere in locum obstructum agere possint; facile intelligimus, cur Ill. SYDENHAMUS *i*) affirmaverit, mercurium rarissime conducere, sapius autem noxas haud contemnendas inferre; hoc autem imprimis obtinere videtur, si pars intestini superior in proximam inferiorem ingressa, aut intestina jamjam fracida reddita fuissent. Deglutionem globulorum plumbeorum semper, mercurii vivi autem saepenumero esse nocivam dicit Celeb. TISSOT *k*). Sunt tamen clari in arte medica Viri, qui ejus usum hoc in morbo summis laudibus extollunt. Asserit HEERS *l*), se sapius argentum vivum exhibuisse & exinde nunquam ulla noxas, creberrime autem egregios effectus productos vidisse. ZACUTUS LUSITANUS *m*) monet, multos, ileo desperato laborantes, libris tribus argenti vivi deglutitis

b) *Med. Rat.* Tom. IV. Part. II. p. 335.

i) *Sect. I. Cap. IV.* p. 91.

k) *Avis aux Peuples.* C. XXII.

l) *Obsérv. Med.* L. I. Obs. 2. p. 37.

m) *De Medicor. Princ. Historia.* L. II. Hist. 97. p. 358.

glutitis cum vehiculo oleoso, ab imminente morte liberatos fuisse. Veteres nimis credules & fortasse DIOSCORIDIS & PLINII autoritate imbuti, qui vires deleterias huic metallo adscripserunt, quasi illud epotum, instar Lithargyrii, torminibus intensissimis ventriculum & intestina exederet, aut suo pondere laceraret; plerumque globulos, ex metallis ponderosioribus, imo interdum ex regulo antimonii confectos, exhibuerunt. Celebres autem Viri hodie iis argentum vivum ob summam mobilitatem summumque post aurum pondus præferunt, quamquam HELMONTIUS *m**) sancte asseverat, neminem ileo perire, si globulos plumbeos ingurgitaret: citiorem adhuc & feliciorem sanationem ægris simul promisit, si, globulis haustis, ambularent.

§. XXVII.

Frustra usurpatis oleosis, laxantibus & diluentibus, ne in periculo mortis derelinquerent ægrotum Medici; talia, quæ primo intuitu nocitura viderentur, audacter optimo cum successu se tentasse legitur. Difficillime creditu foret, nisi certis constaret observationibus, actu frigidissima, quæ constringendo & condensando agunt, ægros in sanitatem restituisse, cum jamjam pristinam salutem recuperandi spes omnis abesset. HOFFMANNUS *n*) candidè fateatur, se in muliere doloribus vehementissimis, ob mensis terrore suppressos, cruciata venæsectiones, clysmata emollientia multaque alia frustra tentasse; quæ tamen, dum suavis Nabothi aquam frigidam, prius corpore pedibusque bene tectis, hauserat, subsecuto largo sudore, perfecta sanata fuit. Similem & casum profert LUDOVICUS SEPTALIUS *o*), qui nobili Hispano, antea omnibus in §§is prioribus laudatis frustra exhibitis, aquam multam nive refrigeratam lætissimo cum eventu dedit; licet ex pulsu non amplius

D

pius

*m**) De *Flatib.* §. 31. pag. 339.

n) *l. c.* p. 349.

o) HOFFMANN. *l. c.*

plius sensibili & sudoribus frigidis percipiebat mortem jam esse præ foribus. Egregie hinc dicit CÆLUS *p*): "alias atque alias morborum proprietates in hominibus esse, & qui secundis aliquando frustra curatus est, contrariis restituitur sæpe" Verum temeraria adeo hæc medela videtur, ut ea nunquam sine damnis irreparabilibus institui possit, nisi simul cautelæ ad amissim observentur, quæ jam CÆLUS *r*) suo tempore & AETIUS *s*) in integro capitulo, ubi de aquæ frigidæ usu agit, dederunt, in quo egregie monet, aquam frigidam haustam tunc tantum effectus salutes præstituram esse, si æger magna omnium solidorum debilitate & tenuitate humorum laboraret, ibique simul omnem aquæ frigidæ propinationem in principio & augmento morbi interdixit.

§. XXVIII.

Sed aquæ frigidæ usus internus non solum, sed etiam ea externe applicata eximie ab Autoribus celebratur. HIPPOCRATES *t*) ejus affusionem copiosam in juvene carnosus habitus, a tetano media ætate correpto, laudavit; imo convulsiones, frigida aqua affusa, levare & dolorem solvi monuit *u*). In curatione colici affectus frigida aqua se usum fuisse, testatur TRALLIANUS *v*), eamque optimo cum successu per anum injecisse asserit. Plures similes casus sane memorabiles leguntur, qualis & sequens est: nimirum homo viginti septem annorum de levi dolore abdominis & insueta alvi constipatione incipit conqueri, omnia alias in hoc morbo efficacissima tentabantur, verum nullæ prodibant fæces & ingesta quævis rejiciebat. Sic incassum tentatis omnibus, cumque desperatus jamjam haberetur, deducebatur

p) In *Præfatione*. p. 19.

r) L. III. C. VII. p. 135.

s) *Tetrabibl.* 2. *Serm.* 1. C. 72. p. 249.

t) *Aphor.* 21. *Sect.* V.

u) *Aphor.* 25. *Sect.* V.

v) L. X. C. I. p. 585.

ducatur in cubiculum frigidum pedibus prius denudatis, quique deinde singulis minutis secundis perfundebantur aqua frigida, ascendendo sensim continuabatur in frigidæ affusione, donec ad pubem usque pertingeret. Æger auctas inde vires percipiebat, & per medium horæ levabatur, mox vero dolebat ut ante, semel vomebat, abdomen tumebat plus quam antea, tormina acutissima percipiebat; sed post pauca minuta largam & liquidam alvi evacuationem habuit, cum magno levamine & tridui spatio ex tanto discrimine evasit w). Mirus & casus ibi habetur, quo alvi pertinacissima constipatio, quæ plurimis remediis per quadraginta tres dies frustra tentatis, soluta fuit intra decem minuta, dum crura & femora aqua frigida bis intra minutum horæ perfunderentur. Sic ZACUTUS LUSITANUS x) juvenem acerba laborantem colica, omnibus inutiliter tentatis, simili sanavit methodo: "Cum dolor, inquit, in-
 „gravesceret, sitis urgeret, ex nive emplastrum parti do-
 „lenti impono & gelidissimum cum saccharo ad satietatem
 „bibendum affero; non transierat hora; quin se sanum ex-
 „clamaret." Celeb RUST y), nosse se dicit plures, qui ve-
 hementes colicos dolores, aliis incassum tentatis, despera-
 bundi fere frigidam applicando sanabant. Itaque III. TIS-
 SOT z), per proprias aliorumque observationes edoctus, affirmat simul cum Clar. WYTT, nihil esse præstantius, quam balneum fere frigidum, & quidem in omnibus mor-
 bis a debilitate oriundis. Nihil enim citius fibras musculares & totum nervorum systema roborat, flatus compescit, putrefactionem sistit, quam ipsa aqua frigida. Temerarius sane ausus, caute enim applicatum remedium heroicum egregios effectus, sed inepte adhibitum pessimos morbos generare potest. Summam igitur hoc remedium cum re-

D 2

quirit

w) *Medical Essays*. Tom. V. Part. II. p. 893.
 x) *Prax. admir.* L. II. Obs. 23.
 y) *Tissot Dissert. de Febr. bil.* p. 117.
 z) *l. c.* p. 105.

quiri prudentiam, hinc plane fere a recentioribus derelictum esse videtur.

§. XXIX.

Ultimum sed simul difficillimum & omnium audacissimum remedium, Gastrotomiam volo, rimandum adhuc superest. Est nimirum illud, ubi abdomen instrumentis chirurgicis aperitur, intestina educuntur, ut Intussusceptionis locus experiri & digitis sic explicari possit, deinde, his peractis, intestina reponuntur & gastroraphia instituitur. Quam operationem Praxagoram jam quondam jussisse refert CÆLIUS AURELIANUS a), quod autem Praxagoræ regulas practicas male intellexerit, ex suis ipsis verbis apparet, sic scribens: "Praxagorani intestina in folliculum delapsa & stercoribus conferta, pressione & quassatione vexavisse, si autem eorum repositio impossibilis erat, gastrotomiam commendasse." Quis autem non videt, Praxagoram potius de herniis earumque operatione sermonem fecisse, quam de gastrotomia, quam sententiam III. HALLERUS b) quoque veram indicavit & cum eo Clar. LE CLERC c). CÆLIUS AURELIANUS in suis scriptis affirmat, Praxagoram etiam voluisse, ut intestinum rectum in malo iliaco discinderetur, & stercore exento consueretur, sed non satis patet, an etiam Praxagora illud intestinum rectum appellaverit, quod hodie sub eodem nomine venit. Intentio autem AURELIANI, Praxagoram nempe vituperandi ridiculosumque reddendi, luculenter satis ex ejus scriptis apparet. Quivis igitur facile perspicit, insufficientissima esse, quæ huic operationi favent, veterum argumenta. Itaque adire placet BARBETTE, qui cum magna felicitate laudeque Chirurgiam & Medicinam Amstelodami exercuit, & qui gastrotomiam problematice proposuit, dicens d): "an
non

a) *Acutor. Morbor.* L. III. C. XVII. p. 244.

b) *Method. Stud. Med.* Tom II. p. 818.

c) *Histoire de la Medecine.* L. IV. C. VI.

d) *Oper. Chirurgico-Anat.* 1572. De *Abd. part. intern.* L. X. C. II.

non præstaret, facta dissectione musculorum & peritonæi, digitis susceptum intestinum extrahere, quam morti ægotantem committere?" Quibus autem evidenter videretur patere, Ill. BARBETTE ipsam hanc operationem antea nunquam instituisse, & non credo, tales propositiones regulis medicis condendis aptas esse. Ast apud BONNETUM a juvene & audaci Chirurgo gastrotomiam in illustri matrona optato successu institutam fuisse legitur e). Plane autem ignoramus, quomodo ille juvenis, sine ullis observationibus aut doctrinis chirurgicis probe imbutus, certam salutem polliceri & matronæ persuadere potuerit, ut se huic operationi submitteret. Qui autem omnes expressiones, in hac historia contentas, attente perpenderit simulque considerat illam a pastore ecclesiæ, rerum medicarum plane experti, BONNETO communicatam fuisse, facile perspiciet illum audacem herniorhomiã, non gastrotomiã instituisse. Quam vero olim Celeb. NUKKIO jubente, OOSTERDYKUS SCHACHT f) Chirurgus dexterrimus in fœmina quinquagenaria, atrocissimis hujus morbi symptomatibus cruciata, omni medela leniori frustra applicata, adeo feliciter celebravit, ut ultra viginti adhuc annos supervixerit hæc ægra. Haud facile quis de hujus casus ejusque eventus veritate dubitabit, sed quæritur jam, an cum Clariss. ROBINSON g) liceat affirmare, unum aut alterum experimentum in medicina feliciter institutum sufficere ad judicium universale formandum? Sæpius hoc fieri posse negare non audeo, absolute autem impossibile est certas regulas ex una aut altera observatione de gastrotomiã, feliciter instituta, formare. Nam quis est, qui hanc operationem longe periculosissimam, cui ægri se sine multis persuasionibus sanitatemque recuperandi promissionibus difficillime submitunt, suaderet, ubi omnia signa de certa Intussusceptionis præsentia plane deficiunt, ubi locus, in quo invaginatio hæret, ignoratur, & si quadam in re, certe in hac Medici palpitant inque tenebris densissimis versantur. Saltem ego mihi persuadere nequeo, Medicum tam temerarium ac suæ famæ tam immemorem futurum esse, ut abdomen discindat & omnes intestinorum gyros evolvat, usque dum morbi sedes inventa fuerit, sine sufficiente diagnosi, qualem excusationem & ille haberet? qui dissecto abdomine non inveniret, quod adesse certe credebat. Sic SCACHERUS h), MOESCHEN i),

SCHO-

e) l. c. Obf. XX. §. 11. Schol.

f) VELSE in Dissert. inaug. p. 29.

g) *A compleat treatise of the gravel and stond.* Part. II. Ch. V. p. 228. & 229.

h) Dissert. Medicò-Chir. de *Morb. a sit. intestina præternat.* C. I. §. 12.

i) Dissert. de *Passione iliaca.* Rostoch. hab.

SCHODER *k*) & SCHULTZE *l*) fenserunt. Tempus quoque, quo hæc operatio cum utilitate posset institui, non minus incertum est, quis eam in hujus morbi principio celebrabit? cum sæpius ille lenioribus tractatus ex voto removetur; quis autem in fine, ubi abdomen tenfum turget, per totum dolet & intestina plerumque gangræna jamjam & sphacelo correpta sunt omnesque vires languent. Quæ omnia egregia admonita sunt ab HOFFMANNO *m*) & OTTONE *n*). In hanc itaque operationem, fallacis dubiisque plenam, licet ea maximis etiam laudibus a quibusdam efferretur, num Medicus consentire possit? dubito.

§. XXX.

Quos egregios & mirabiles effectus prudentis Medici audacia efficere valeat, & historia medica docet & historia a Præceptore benignissime mihi communicata, luculentum exemplum exhibet. Quum nimirum vir quinquagenarius doloribus ventris vehementioribus indefinenter vexatus, a nullis remediis, quæ alias prudentia in hoc morbo jubet, levamen ullum ceperat, & jam adeo emaciatus & omnibus viribus destitutus erat, ut Professor excellentissimus & in praxi felicissimus, dum ille intestinorum invaginationem suspicabatur, ab audacia remedium sumendum esse ratus sit, nisi agrotum, ad vitæ finem appropinquantem, sine omni adjumento derelinquere vellet. En! quid fecit ille prudens Medicus: extrahebat ex annulis abdominalibus intestina, usque dum totum scrotum exinde repletum fuisset, quibus iterum repositis, sedes alvinæ sanguinolentæ cum omnium symptomatum levamine sponte secedebant, & æger, veluti ex orci faucibus ereptus, perfecte sanatus est. Ex his omnibus, si alias quid in arte medica ex rectæ rationis regulis evictum affirmare permissum est, luculenter apparere videtur, Intussusceptione hujus agroti intestina affecta fuisse, quæ autem extractione explicita & in statum pristinum restituta fuerunt. Felix est Medicus, sufficienti prudentia instructus, ut in felicitatem & salutem generis humani ancipiti remedio, secundum regulam CÆLSI *o*), uti sciat.

k) Dissert. de *mut. intestin. ingress.* Altorf. hab. §. 35.

l) Dissert. Medica de *Passione iliaca.* Halæ hab.

m) Dissert. Med. de *Passione iliaca.* §. 27.

n) *Prax. Med.* Part. II. p. 13.


o) L. II. C. X. p. 79.

T A N T U M!

Straßburg, Med. Diss., 1. Ambrosi-
Beuche

X. 241 8820





13

B. C. D.
 SPECIMEN INAUGURALE
 DE
INTUSSUSCEPTIONE
 CUM
CONJUNCTA OBSERVATIONE,
 QUOD
 EX CONSENSU
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS
PRO LICENTIA,
 SUMMOS IN MEDICINA HONORES
 ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
 RITE CONSEQUENDI
 DIE XXI. JUNII ANN. MDCCLXIX.
 H. L. Q. C.
 SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
 SUBMITTIT
 AUTOR
CAROLUS GODOFREDUS BECKER,
 GRÜNEBERGENSIS.

ARGENTORATI
 EX OFFICINA UNIVERSITATIS HEITZIANA.

